



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 71. Philippus Antonius Gualterius Cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

§. LXXI.

Sæc. XVIII:
A. C. 1728.*Philippus Antonius Gualterius Cardinalis mortuus.*

Postremus inter Cardinales hoc anno denatos erat Philippus Antonius Gualterius Urbevetanus in Civitate Firmi ex Stanislao Marchione & Anna Cioli natus. Nobilissimam horum familiam, quæ Viros toga, sagoque clarissimos Orbi dedit, Philippus proprio virtutum splendore adhuc illustriorem reddidit. Hic enim Romæ emenso sacratorum literarum curriculo Doctoris honore illustris, ab Innocentio XI. amplissimo Romanorum Præsulum Ordini adscriptus est. Jam tum admirabili æquitate, indefessa solertia, & consiliorum gravitate a nemine non prudentum summopere æstimabatur, ac præ ceteris ob singularem moderationis laudem primo in Sanseverinæ, postea Fabrianæ, & demum Æsinæ Urbium Governatorem seligebatur: Nec hic stetit fortunæ cursus, & meritorum occasio; quippe ab Alexandro Camerinesi, ab Innocentio XIII. Lauretanæ, Viterbiensi, & universo D. Petri Patrimonio præfectus, demum Avinionem Legatus Pontificius mittitur, ut rebus Romanis per Gallias velut e

Bbb 3

pro-

Sæc. XVIII.
A. C. 1728.

propinquo sollicitè studeret, proxime & eminè Ecclesiæ negotia in hac Aula procuraturus; quarto enim Avenionensis Legationis anno laudabiliter expleto Atheniensis Archiepiscopi titulo decoratus ad Franciæ Regem Apostolicus Nuntius decernebatur: Ibi suam morum comitate, & sincero erga Nationem affectu omnium benevolentiam atque æstimationem sibi mirifice conciliabat, quamvis mortuo Carolo II. Hispaniarum Rege Pontificis jussu contra Testamenti tabulas in favorem Andegavensis Ducis confectas reclamasset, eoquod in iis dispositum esset de Neapolis Regno, quod Pontifex tanquam Apostolicæ Sedis feudum extincta Regia stirpe ad se devolutum esse obtendebat. Sub idem tempus Jacobus II. Angliæ Rex Regno suo spoliatus in oppido S. Germani in periculosissimum incidit morbum, cui etiam morienti Gualterius assidue adstitit, nec antea discessit, quam ille mortales exuvias deponeret, quo extincto ejus Filium, quem *Prætendentem* vocant, ceu Angliæ Regem præsentibus plurimis Anglis Proceribus honorabat. Anno 1701. Philippus suis meritis consecutus est, ut Immolensis Episcopus a Clemente XI. & postea Cardinalis renunciaretur, cui ipsemet Rex rubrum Bire-

Biretum imposuit, & e Gallis Romam Sæc. XVIII.
 revocatum in singularis benevolentiae A. C. 1728.
 signum pinquibus Abbatis SS. Victoris
 & Remigii auxit, & Regio militari
 Ordine S. Spiritus insignivit. Pontifex
 vero illum ad Tudertinum Episcopa-
 tum transtulit, ac plurimis Patrum
 cætibus accensuit. In Italiam rever-
 sus mox ad Ravennates Legatus a
 latere mittitur, ac quarto post anno
 Franciæ & Angliæ Protector nomina-
 tur, frementibus Anglis, qui sæpius
 Londini effigies Papæ, Gualteri &
 Diaboli summa petulantia publice com-
 bufferunt. Hæc tamen ignominia Gual-
 terium absterere haud poterat, quin
 afflictæ & oppressæ hujus Familiæ pa-
 trocinium maxima sollicitudine in se
 susciperet, & Anno 1713. Jacobum
 Eduardum Jacobi II. Filium suscepto
 in Gallias itinere inviseret, a Chri-
 stianissimo Rege Ludovico XV. omni-
 bus Regiæ benevolentiae signis exce-
 ptus, & variis Regiis Academiis ag-
 gregatus. Inde redux, ad Magni
 Etruriæ Ducis Aulam divertit, ubi
 quædam Ecclesiæ negotia tam feliciter
 transegit, ut summum Pontificem eo
 inclinaret, ut Jacobum III. primo Ave-
 nionem postea Romam deducere per-
 mitteretur, ob immotum Religionis
 studium Regiis honoribus colendum.

Sæc. XVIII. Jam demum sentiebat imminentem
 A. C. 1728. corporis sui resolutionem, quocirca ut
 sese ad extremam luctam rite compara-
 raret, ab omnibus mundi negotiis se-
 cessionem fecit, & morientium Sacra-
 mentis munitus post diuturnum, sæpius-
 que repetitum morbum die vigesima
 Aprilis expleto sexagesimo octavo æ-
 tatis anno Spiritum Creatori suo red-
 didit. Posteris reliquit declarationem
 in Constitutionem *Unigenitus*, Cardi-
 nali Corradinio inscriptam, in qua se
 accerrimum hujus Bullæ propugnato-
 rem testatus illos omnes, qui eam sine
 limitatione recipere renuunt, ceu hæ-
 reticos abhorruit.

§. LXXII.

*Septem Præfules a Benedicto XIII.
 Romana Purpura decorati.*

Horum Cardinalium vacuas Sedes
 repleturus Pontifex, hoc anno die
 trigesima Aprilis habito, ut ajunt,
 Consistorio secreto evulgavit quinque
 Cardinales, Antonium Banchierium
 Pistoriensem, Almæ Urbis Guberna-
 torem, Fratrem Vincentium Ludovi-
 cum Gotti Bononiensem Ord. FF. Præ-
 dicatorum, Generalem fidei Inquisito-
 nem in Civitate Mediolanensi, Cardi-
 nalem Presbyterum tit. S. Sixti, Ca-
 rolum